



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Art. I. Quæ peccata distinguantur specie?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

tate; tum quia ex iusta causa illos <sup>licet</sup> permittere, etiam secundum adversarios.

Resp. III. In praxi tamen verius videtur, quod docet *Vasq. Az. Less. Bec. 1. 2. t. 2. c. 5. q. 5.* sine iusta causa eis non resistere, esse mortale: quia ferè semper voluntas est exposita periculo consensus; & contrarium credere, est nimia sui confidentia & præsumptio. Moderatè *Laym.* utramq; sententiam probabilem fatetur, & ait, delectationem videri mortalem, nisi saltem actum simplicis displicentiæ circa illam elicias; etsi efficaciter animum ad alia divertere negligas, cum facillè possis, & speres te tali modo posse depellere. *v. Laym. l. 1. t. 3. c. 6.*

### DUBIUM III.

#### *De Distinctione peccatorum.*

#### ARTICULUS I.

#### *Quæ peccata distinguantur specie?*

Resp. Peccata, quoad materiale, sive entitatem positivam, specie distinguuntur ex objectis formalibus, & circumstantiis speciem variantibus, quatenus eæ objecti formalis rationem habent. Quoad formale autem, proximè distinguuntur ab oppositis formis, sive rectitudine virtutis, qua privant, remotè autem & fundamentaliter, ex objectis. Ita *Tann. d. 4. de pec. d. 1. q. 2.* Ratio primæ partis est, quia omnes actus specie distinguuntur ex objectis; peccata autem quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio secundæ partis, quia pri-



vationes proximè distinguuntur specie à formis quibus privant; sed peccata formaliter sunt privationes rectitudinum oppositarum. Ratio tamen partis, quia rectitudo virtutis specificatur proxime ex objecto: ergo privatio rectitudinis ex toto remotè; *Ex quibus resolves.*

Peccata specie differunt, non tantum quæ diversis virtutibus, sed etiam, quæ eidem opponuntur extremè; ut prodigalitas, & avaritia: vel ratione diversa difformitatis, id est, quæ ad eodè directione & malitia ejusdem virtutis materiam contingunt, ut quantum est ex natura ejusdem peccati, non sit eadem facilitas, moraliter loquendo, quæ propensio utrumque peccatum committendi, qualia sunt homicidium, furtum, adulterium, detractio.

## ARTICULUS II,

*Quæ peccata distinguuntur numero?*

Resp. Numero distinguuntur duobus modis. 1. Ex diversis objectis numero totalibus, non materialiter & physicè tantum, sed etiam formaliter & moraliter distinctis. 2. Per interruptionem actuum moralem. *Fl. s. 21. c. 8.*

Dico, *moraliter*: quia etsi ad distinctionem numericam physicè sufficiat quævis interruptio in ordine tamen ad confessionem, non multiplicatur, nisi moraliter multi sint, quia sicut in confessione actus moralis, ita etiam multiplicatio & distinctio moralis attendi debet,